

non sit qui sacrare debet tamen sacrat cui debet Deo videlicet et omni eo ritu quo debet. Revera quidem concedi oportet: Si recte offeras recte autem non dividas, peccasti. Tamen et concedi oportet, quod multo vicinius saluti peccat, quisquis intra fidem Christianam positus peccat, quam is qui omnino extra fidem Christianam extat. Unde dominus in evangelio: *Sicut Moyses exaltavit serpentem^a in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, set habeat vitam eternam.*¹ Qui ergo credit in Deum, potest non perire, si fidem habeat, que sine operibus mortua² existit, at vero qui non credit, nulla ratione non potest non perire. *Sine fide enim*, sicut ait apostolus Paulus, *impossibile est placere Deo.*³ Altare ergo illud de quo in libro Machabeorum legitur, quod gentes construxerant, Iudas Machabeus et populus qui cum eo erat iure a solo prorsus destruxerunt, quia ubi nulla sanctificatio fuit, nulla prorsus emundatio esse potuit.

32 Ut igitur et nos responsionis nostre summam colligamus, paucis attende. Dicimus tecum, quia symoniacus revera hereticus est. Dicimus tecum, quia communicandum sibi non est. Sed communicare dicimus: unum cum illo esse voluntatis assensu atque actione. Si ergo regulariter atque canonice subditi eum amovere possunt, tolerandus non est, immo omnino amovendus est. Si autem competenter id facere non possunt, patienter tolerandus est et sine periculo in his quę fieri licet a subditis ei obedientia exhiberi potest atque debet. Sub Nabuchodonosor, qui erat infidelis atque idolatra, vixit per annos multos imperiis eius parendo Daniel propheta, vir fidelis atque verus Israelita.⁴ Si ergo obicis mihi auctoritatem apostoli: *que communicatio fidei cum infidei*⁵? par pari referimus, obicimus et nos auctoritatem eiusdem apostoli: *qui potestati resistit, ordinationi^b Dei resistit.*⁶ Et fortassis utraque sic servatur auctoritas nec alteri altera repugnat, si communicare alicui dicimus unum cum illo esse voluntatis assensu atque actione. Hoc enim modo cavere possumus, ne aliquibus in maligno positis communicemus. Ad cumulum vero huius cautele atque observantię plerumque precipitur, a quibus fieri debet et quibus id observare licet, ne cum eiusmodi

^a) serpentem

^b) ordinatio

¹) Joh. 3, 14, 15.

²) Cf. Jac. 2, 26.

³) Hebr. 11, 6.

⁴) Cf.

Joh. 1, 47.

⁵) 2. Cor. 6, 15.

⁶) Rom. 13, 2.